

inferiores suos, sic a suis superioribus adiuuabuntur, hoc est a sanctis Dei et angelis ipsius et proprie a beato Mauricio et sociis eius, legione Thebeorum martyrum, in cuius sacra nocte hec visio ex parte facta est. ^{<11>}Qui quondam noluerunt impugnare Christianos et ideo occisi sunt, nunc volent venire et venient cum Christianis contra paganos. ^{<12>}Peccatoribus quoque, qui ad Deum converti voluerint, promittitur hoc: ^{<13>}Sicut ipsi causa fuerunt tristitiae Christianis in oppressione illata a gentibus, sic erunt causa letitiae eisdem conversis gentibus⁹. ^{<14>}Fiet enim ultra mare congressio paganorum et Christianorum in ascensione Dominica tercio anno ab ea ascensione, que futura est hoc anno, et glorificabit ibi Deus ecclesiam suam et deferentⁱ angeli sancti crucem¹⁰ visibiliter et tradent fidelibus et circa horam illam, in qua Dominus ascendit in celum, cadent pagani casu magno et Dominus noster, quem hominem mortuum appellant, ostendet se eis hominem vivum et etiam Dominum, dans corpora eorum in manus Christianorum et etiam res.

^{<15>}Nam rex Iherosolimitanus obtinebit regnum quoddam in terra paganorum, in quo tres civitates prepotentes sunt¹¹. ^{<16>}Tunc stabunt filius Dei et mater sua meritis passionum suarum pro animabus paganorum, qui erunt in Terra Sancta – et convertentur decimo die¹² et efficiuntur boni et optimi Christiani. ^{<17>}Et boni quidem ymaginem representabunt matris sue, domine videlicet nostre, in casta conversatione, optimi quoque representabunt similitudinem patris sui, domini nostri Iesu Christi, in prevalente fraterna karitate et in tolerantia passionum et mortis pro ipsorum salute. ^{<18>}Nam exhibunt ad exterarum gentes et predicabunt et post mortem signa facient et alios convertent.

^{<19>}Hec in partibus illis evenient. ^{<20>}Domina vero nostra promittit restitutionem puerorum illorum,^j qui nuper ultra mare iter^k arripue-

i) *Nach Korrektur.* j) *Am Rand eine neuzeitliche Glosse: Puerorum profectio in Palaestinam.* k) *Über der Zeile ergänzt.*

9) Vgl. *Augustinus, Enarr. in psalmos, in ps. 42,3: Causa tristitiae tuae peccatum est, causa laetitiae tuae iustitia sit.*

10) Vgl. *Petrus Lombardus, Sent. 4,48,278: Et sicut Ioannes Chrysostomus dicit: Angeli deferent ante eum signum crucis.*

11) *Möglicherweise ist – neben dem Königreich Jerusalem – an Tripolis, Edessa und Antiochia gedacht; vielleicht auch eine Anspielung auf die tres civitates in Deut. 4.41, 19.2, 19.7.*

12) Vgl. *Lev. 23.27: Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celebrimus et vocabitur sanctus affligetisque animas vestras in eo et offeretis holocaustum Domino.*